

censi nimirum, Erfurtensi, Jenensi, Vismariensibus, Lipsiensibus, Dresdensibus, Berlinensi, Gottingensi, Herrenhusano etc. inquisivi. Alio forsàn loco fusius de ea aliisque hujus generis speciebus, adhucdum in obscuritate latentibus, loquar; hic adnotare sufficiat, differre nostrum ab *Ac. rostrato*, cui proximum, habitu alieno, aliaque forma et albedine (rubore, nec coeruleo colore perfusa et variegata) corollae foliorumque, quae firmiora et vernice quasi obducta splendentia, laciniis latioribus parvioribusque incisuris praedita sunt. Verum est *Ac. album* Moench, neque unum idemque cum ejusdem *Ac. variegato*, quod plane diversum. — 2) *Anthyllis macrocephala* Wndr. Hanc Anthyllidis speciem iam per plurimos annos in horto nostro cultam; pro *Anth. rustica* Mill. habui et sub *Anth. rusticanae* titulo in catalogo stirpium h. n. commemoravi; me invito autem cum exteris communicatam nunc falso nomine *A. polycephalae* et *A. polyphyllae* recepi. Jam vero quum mihi persuasum habeam, peculiarem esse, a reliquis et quidem inprimis ab *A. Vulneraria* diversam speciem, eam supra allegata denominatione sequentique definitione distinguere conatus sum: *A. herbacea*, erecta, fol. pinnatis, foliol. 5 — 10 subaequalibus, capitulis ternis plurimisve. Flores ochroleuci (nec albi) mox flavo et rubro variegati. 24. Patria? — 3) *Corydalis capnoides* et *lutea* verae tamen species esse videntur, etsi perennes utraeque et definitionibus haud facile distinguendae. Jam per plurimos annos nostro in horto cultae, aequae ac spontaneae quasi in eo, immutatae perstiterunt. Cor. acaulis vero ea quidem, quam Müllerus e Sardinia attulit et nobiscum sub hoc nomine communicavit, certe mera est varietas. Quid autem *Fumaria capnoides* floribus rubris (!) in Kniphofii ectypis sub n. 1045. repraesentata? — 4) *Crepis sagittata* Wndr. Caulis erectus firmus superne subcorymbose ramosus glaber. Fol. inferiora longa in pe-

tiolum decurrentia, superiora sagittato-amplexicaulia, omnia inaequaliter dentata, glabriuscula. Anthodium setosum. Nunc forte eadem c. *C. grandiflora*? sed caulis nec dupliciter pilosus, nec folia superiora integerrima. 4. Patria? — 5) *Orobus linifolius* Wndr. Fol. conjugata linearia glabra nervosa. Racemi pedunculati axillares multiflori; flores secundi atropurpurei. Caulis obsolete tetragonus ramosus. Nec itaque *O. atropurpureus* Desf. quo nomine accepimus esse potest. 4 in frigid. — 6) *Papaver bracteatum* Lindl. differt, praeter reliqu. stigmatate excavato-radiato, radiis disco brevioribus a *P. orientali*, cui stigma umbonato-radiatum, radiis longioribus. — 7) *Pyrus suaveolens* Wndr. Arborea spinosa. Fol. ovalia et ovato-oblonga, acuta et acuminata, serratula glaberrima; petioli hirsutiusculi. Flores corymbosi, suaveolentes; corymbi pauciflori laxi; pedunculi subtomentoso-pilosi; calycis lacinae intus tomentosae unguis petalorum superantes; petala amoene rubra, dein albida, styli tomentosi. Fructus magnitudine nucis moschatae angulatus, basi coronaque excavatus viridis acerbus. Floret omnium serius. — 8) *Salvia pratensis* v. *albiflora*, v. *bicolor* et v. *rubicunda* Wndr. Tres istaec species memorabiles *Salviae pratensis* varietates, in horto nostro e cultura ejus ortae, eximiae et pulcherrimae sunt, spontaneas, quoad magnitudinem florum eorumque amoenitatem colorum, longe superantes, id, quod imprimis de varr. *rubicunda* et *bicolori* valet, hujus nempe corollae labium superius lacte coeruleum, inferius candidum est; illius vero flores nec minores ut in *S. prat.* v. *rubra* spontanea, sed majores nec purpurascens sed rosci sunt.

Monographia Rhizospermarum et Hepaticorum. Die Wurzelfarren und Lebermoose nach ihren Gattungen und Arten, organographisch-phytotomisch be-